CASSIODORUS

Zwettl gegen 1200 Seite 117r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31638
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

pp̄to per diuinam gratiam misceatur.
Per totum *diuisio psalmi.*
psalmum propheta loquitur. Primo ingressu
competenter nominis eius potentiam laudes domino dicit
esse soluendas quia fecit que uoluit in celo et in
terra. magnalia ipsius diuersa commemorans.
Secundo quoniam ueritatis perfecta laus est. destruere
falsitatem. ydolorum cultores sub irrisione re-
darguit. Tercio diuersos ordines ad-
monet. ut dominum laudare non desinant.
Sic genus demonstratiuum utraque parte mira-
bili execucione complet.
Laudate nomen domini. laudate serui dominum.
Qui statis in domo domini. in atriis domus dei nostri.
Post preteritos sic dictum est psalmos. quibus ad
omnium uirtutum culmen diuina miseratione propheta
conscendit. in domo domini stantes alloquitur. ut
post collata tam ingentia beneficia. laudare
non desinant celi terreque creatorem. Et respice per-
cepta ista in duobus uersibus que a distinctione cre-
uerunt. Primo dixit. laudate nomen domini. et ne
quilibet hoc putares iniunctum. addidit. lau-
date serui dominum. id est qui serui ipsius estis propria
uoluntate deuoti. et dominum uos habere sen-
titis. quem nulla supersticione contempnitis. Ter-
cio dicit qui statis in domo domini. hoc est qui per-
seueranti et inperturbabili uoluntate. in ipsius
sancta credulitate consistitis. contra illos scilicet dictum
qui patientes defectum decollato subito hono-
re ceciderunt. Sequitur. In atriis domus dei nostri.
Atrium dicitur amplissime domus primus ingressus.
ubi sunt habitantes propter expellendum frigus
focos facere noscebantur. et ab atri fumi ne-
bulosissimis globis appellata atria. quasi
atra tradit antiquitas. Et quia nullus sermo
uacat. qui non aliquod mysterium continere uidea-
tur. et illos etiam dicit dominum debere laudare. qui
in primum membrum domus dominice uidentur ingres-
si. Laudate dominum quoniam benignus est dominus. psal-
lite nomini eius quoniam suaue est. Considera quod
laudate tercio posuit. ut pluralis similitudine
qualitatem sancte trinitatis inuisibiliter nobis os-
tenderet unitatem. Laudis enim dominice usque ad
diuisionem positam multiplex causa narratur.
Nam cum sint omnia que fecit. cuius ipse sit bo- ualde bona
nitatis additur. a quo talia manasse nos-
cuntur. Addidit quoque suauis. ut non solum
benignum. sed et dulcem esse sentires. Sic enim et
alibi dicit. Gustate et uidete quoniam suauis est
dominus. Psallite uero dum ponitur. ad bonas operatio-
nes corporis refertur. et in hac mundi conuersati-
one dominum uideamus. deinde probitate lauda-
ri. Quoniam iacob elegit sibi dominus. israel in posses-
sionem sibi. Et hic uersus adhuc ad ultimam partem
pertinet. cur dominus debeat predicari. Nonnul-
lis autem titillare cognoscitur. quare non sit hic
abraham positus. cui primum hec possessio a
domino promissa declaratur. Sed abrahe uocabu-
lum non hoc uidebatur significare. quod de isto no-
mine potuisset aduerti. Iacob siquidem
supplantatorem interpretari sepe iam dictum est.
qui benedictionem fraternam gloriosa nimis cu-
piditate preripuit. Quod ad euocatam uniuersita-
tem gentium conuenienter aptatur. que ad ad-
uentum domini saluatoris ad se credulitate tra-
hens. synagoge munera promissa percepit.
et priorem populum religiosa festinatione superauit.
Sed post ultima patriarche mysticam luctam. quam ia-
cob cum angelo constanter exercuit. ipse quoque israel
appellari meruit. quia tante concertationis
fixa mente pondera tolerauit. Israel autem
interpretatur uir uidens deum. quod ad ultimam pertinet
significationem quando dominus possedit in beatis.
Elegit itaque iacob. cum ecclesie populum diuersarum
gentium congregatione subunauit. Possedit
israel quando nulla beatorum resurrectione ip-
se in omnibus probatur habitare. Quia cogno-
ui quod magnus est dominus. et deus noster pre omnibus diis.